

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Milicia k
in editionibus 1493/5 & 1550 cum fonte primo

Plerique rei militaris ignari pleniorē uictoriam credunt: si aduersarios aut locorum angustiis aut armatorum multitudine circumdederint: ut aditum non inueniant recedendi: sed econtra clausis ex desperatione crescit audacia et quum spei nihil est: sumit arma formido. Libenter cupit commori qui sine dubio scit se esse moriturum. ideoque scipionis laudata sententia est: qui dixit uiam hostibus qua fugerent inueniendam. Nam abscedendi aditu patefacto mentes omnium ad praebenda terga consenserint multi more pecudum trucidantur: nec insequentium ullum periculum est conuicti quibus defendi poterant: arma conuerterunt hoc genere quanto maior fuerit tanto facilius multitudo prosternitur.

Vegetius ibidem (libro II.).

Manipulus florum, Militia k (Venetiis, 1493/5), sig.x2v.

Plerique rei militaris ignari pleniorē uictoriam credunt si aduersarios aut locorum angustiis aut armatorum multitudine circumdederint ut aditum non inueniant abscedendi. Sed clausis ex desperatione crescit audacia, et cum spei nihil est sumit arma formido. Libenter cupit commori qui sine dubio scit se esse moriturum. Ideoque Scipionis laudata sententia est, qui dixit uiam hostibus qua fugerent inueniendam. Nam cum abscedendi aditu patefacto mentes omnium ad praebenda terga consenserint, inulti more pecudum trucidantur, nec insequentium ullum periculum est, cum uicti quibus defendi potuerant arma conuerterint. Hoc genere, quanto maior fuerit, tanto facilius multitudo prosternitur; neque enim ibi requirendus est numerus ubi animus semel territus non tam tela hostium cupit declinare quam uultum.

Publius Flavius Vegetius Renuatus, *Epitoma rei militaris*, 3, 21, 1-5 (M.D. Reeve ed., pp.108-9, ll.15-26, 1-4).

Plerique rei militaris ignari pleniorē uictoriam credunt: si aduersarios aut locorum angustiis, aut armatorum multitudine circumdederint: ut aditum non inueniant abscedendi: sed clausis ex desperatione crescit audacia, et quum spei nihil est: sumit arma formido. Libenter cupit commori, qui sine dubio scit se esse moriturum. ideoque Scipionis laudata sententia, est: qui dixit. uiam hostibus, qua fugerent, inueniendam. Nam quum abscedendi aditu patefacto, mentes omnium ad praebenda terga consenserint, multi more pecudum trucidantur: nec insequentium, ullum periculum est, quum uicti (quibus defendi poterant) arma conuerterint in fugam, hoc genere quanto maior fuerit exercitus, tanto facilius multitudo prosternitur.

Vegetius ibidem (libro iij.).

Flores omnium fere doctorum, Militia k (Venetiis, 1550), fol.317v.